Te saluum venisse Heidelbergam, gaudeo. Nos paulo post tuum discessum, tandem expectatissimum & exoptatissimum Donellum nacti sumus. Id nunc unum agitur, & laboratur vehementer, ubi sit habitaturus. Semel iam fuit sic una cum uxore: sed domus adhuc nulla, quae satis uxori arriserit: meam enim tum noluerunt Domini, memores promissi, ei ostendere. Hoc ipso die ipsa una cum quibusdam alijs redijt, alias etiam aedes lustratura. Nescio quo res sit euasura. Ego me contineo domi tanquam testudo, expectans euentum. Scribo haec ipso meridie, expectans quid futurum sit. Mea sponte non cedam, si volent me D. Donelli virtuti & meritis cedere, capiam noua consilia, quae te faciam ne fugiant. Sed vix mihi in animum induco. De Donello hoc unum, hominem in dicendo copiosiorem et elegantiorem, vix vidi. Valde nobis gratulamur. Miri sermones de stipendij magnitudine, quod a scholarchis promissum. Tempus aperiet. Tu fac me certiorem, quid ipsic agatur, ecquid pater factus iam es? Dic sodes. Adde statum Academiae, Quos habetis Medicos? Si hic auspiciora erunt, cogitabo me minus consulte, quod vestram Academiam neglexerim. Sed hoc Deis erit curae. Cupio extra iocum scire quis Medicus tandem in tertium locus repertus sit. Vale multum. Tuam saluta. XII Junij Altorfio.

Scherbij.

Saluta meis verbis D. Crellium, quem
etsi de facie non noui, inter meos tamen
numero, vel propter virtutem eius, vel, (mihi
enim libenter solo blandiri) quia virtutis nescio
quid in me esse putas, qui nimium quantum
bene de me sensit in physicis suis.

Optimo ac doctissimo Viro D.
Theophilo Madero, organi Artis
Professori in Schola Heidelber-
gensi, amico meo S.P.

Heidelbergam,